

miserè conculatos? laniatos? discerptos? Quis nescit nonnullos:
equis excussos gravi ruinâ vitam amisisse? Novimus plures ar-
borum occurSIONIBUS fœdè elisos? non ignoramus, alios fulmine
exanimatos; alios tempestatibus enectos animam evomuisse?

Adonem Cynaræ filium securitùs Venationi indulgentem ab
apro cæsum Naso meminit. Hyas Atlantis satù editus à
leænâ, dum venationi deditus est, discerptus occumbit. Vide
autem, quantum temporis venationibus teratur, cuius ἀνάλωμα
à quo vis sapientissimo μέγιστον habetur! Non diem, non men-
sum unum itemq; alterum his exercitiis perire scimus, sed totum
semestre, addo etiam amplius. Quod si momenti alicujus lu-
crum inde sperandum esset, haud gravatè venia daretur, quan-
doquidem, quæ Comici vox est, non abs re frequentari illud
solet: Frangat nucleum, qui vult esse nucem: neces-
se est, faciat sumtum qui quærit lucrum. At verò
citius ex aquam è pumice, quàm ex venatione vel regis sum-
tibus constante, aliquid lucelli exsculpere posses. Qui enim?
saltuariis, indagatoribus, urinatoribus, venatoribus, imò ca-
lonum manipulo opus est: Omnes hi conducendâ stipendiis, præ-
mium non rarò extra ordinem, si quid audaciùs gestum, excol-
vendum est. Canes desiderantur non unius generis; verta-
gi, molossi, aquatici: ἰχθυεῦται καὶ δρυεῦται, quorum in vena-
tu solertia & sagacitas plurima. Odore enim scrutantur &
explorant, & vel produnt indicio, vel de latebris per vestiga-
tas exturbant feras. Hi magno ære alibi redimuntur, sum-
tu non parvo quotidie aluntur. Retia itidem parvo constare
existimas